



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XVIII. Cùm homo no[n] statim post vsum rationis teneatur sumere
Eucharistia[m]; quomodò statim post vsum rationis obligetur praecepto
Confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

fit ibi aliquod Sacramentum, sed instruendi sunt & docendi.

Cum homo non statim post usum rationis teneatur sumere Eucharistiã; quomodo statim post usum rationis obligatur precepto Confessionis? *Quæstio XVIII.*

PRIMO respondeo, quod aliquem habere, vel non habere usum rationis, nõ potest certò sciri, nisi quibusdam coniecturis; quæ, si probabiles sint, ac vtcunque arguant ad esse usum rationis, tenetur puer cõfiteri; quia nullũ est periculum in peccatorũ Confessione, etiã ante usum rationis. Ad Eucharistiam autẽ tantisper nõ admittuntur accedere, dũ liquidò constet, eos usu rationis pollere, idq; ne vlla Sacramento fiat irreuerentia.

SECUNDO dico, quod vsus rationis nõ in omnes omninò res primò vim suã exerit: Potest enim quis cognoscere vnum, & non aliud: Nam prius peruenit puer ad tempus, quo potest iudicare de peccatis mortalibus; quàm intelligere tanti Sacramenti mysteriũ, in quo continetur Corpus Christi; quod tamen credere & discernere debet is, qui sumpturus est Eucharistiam.

Teneturne homo, cum peccauit, illud peccatum statim, & sine omni mora confiteri? *Quæstio XIX.*